UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 549. Vigilii Pap. Annus 10. Ivstiniani Imp. 23. Totilæ Reg. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

in derictus, ſacerdotium ſumere compulſus eſt: quamquam in eo ſtatu in phreneſim quandam atque opinionem conſequendi Imperij venit. Quærit n. dæmon ambitioni homines deditos ſummorum bonorum ſpe eludere, qui præſertim conſtanti natura ſeu propoſito non ſunt, quod Ioanni accidit, cui mira ac vana ſoliti prædicere homines, cum alia, tum futurum, vt is quandoq; Auguſti habitum indueret: quod fortaſſe factum in hoc verum apparuit, quod quidam ſacerdos nomine Auguſtus Byzantij theſauri Sophiæ: templi cuſtos prope aderat, quando Ioannes ſacerdotii habitum induit: ſorteq; e ſuum, cæteris deficientib. accommodauit. hæc Procopius: qui & hic finem imponit hiſtoriæ de bello Perſico.

XXVI. Quod vero ait compulſum Ioannem effici ſacerdotẽ, non ſic accipias, vt inuitus potuerit ordinari ſacerdos: ſed cum ea offerretur ab Imperatore conditio, vt ſi vitam ſibi ſaluam vellet, ſacris initiaretur ordinib. alioqui foret gladio feriendus: ille fieri ſacerdos magis elegerit minime cogendus, ſi renuiſſet. Eſt namque exemplum de Anaſtaſio Imperatore, qui cum quemdam ex Senatorio ordine vellet ordinari presbyterum, ipſum penitus renitentem, & omne potius ſupplicium ſubire paratum, laicum tandem remanere permiſit potius, quam vi cogeret fieri ſacerdotem: quẽ à ſucceſſore Iuſtiniano Imperatore creatum fuiſſe Præfectum Prætorio, teſtatur ex Romani ſcrinij ſcriptis Petrus Damiani in epiſtola ad Nicolaum Romanum Pontificem.

XXVII. Sed ad Ioannem redeamus, de quo idem Procopius a in bello Perſico quæ ſunt reliqua ipſius tragœdiæ memoria digna, proſequitur verbis iſtis: *Igitur de magiſtratu primum deiectus in exilium in Cyzici ſuburbanum, quod Artacem vocant, miſſus eſt: vbi presbyteri tantum habitum, non autem ſacrificandi animo ſumpſit, ne impedimento fieret ad repetendos forſitan honores, quorum ſpem non omnino abiecerat. Bona eius Conſtantinopoli publicata, quamquam longa pars ei Imperatoris benignitate dimiſſa eſt. Cum his itaque atque alijs, quæ occultauerat, ditiſſimus remanſerat, eaque viuit nihil omnino licentia & his delicijs, quibus priuatus adeo procul ab omni cura fuit, quamobrem odium in ſe Romanorum accumulauit, perſpecta hominis imprudentia, & in calamitate merita inconſiderantia. Verum eum Deus grauiori pœna, puto, reſeruauerat: quod hoc modo contigit.*

a Procop. de bello Perſic. lib. 1.

IN EXILIVM IOANNES MITTITVR.

XXIIX. *Erat quidam apud Cyzicum Epiſcopus Euſebius, omnib. cum quibus verſaretur non minus quam Ioannes grauis. Hunc Cyziceni apud Imperatorem accuſantes ad iudicium acceſſiuerunt; verum conuiribus ac potentia reſiſtente, nihil tunc egerunt: conſpirantibus demum quibuſdam iuuenibus, in foro interficitur. Erat autem Ioannes in diſſenſione cum Euſebio, ex quo illi inſidiæ in primis prouenisse putabantur. Mittuntur igitur è Senatu Romanorum, qui crimen cædis inquirant. Hi Ioannem ante omnes in carcerem conijciunt. Deinde hominem olim inter Patricios potentiſſimum & Præfectum & quandoque Conſulem nudum mere latronis conſtituentes, auctores cædis dicere coegerunt. Deinde cunctis eius bonis direptis, breui tantum eum ac linea contectum veſte tunica impoſuerunt: ſic itaque circumductus per totum Ægypti iter vſque ad Antinoi vrbem petere ab obuiis ſtipem cogebatur. Hic vero tres annos in cuſtodia ſeruatus eſt. Quodque mirum, in tantis ærumnis conſtitutus, numquam imperandi ſpem dimiſit, ſed & quoſdam Alexandrinos publice aurum debere palam etiam calumniabatur. Poſt decem itaque annos à bene paleam male adminiſtrata Republica pœna exacta.* hactenus Procopius de Ioanne illo inſignis nominis, ad quẽ Præfectura Prætorij fungentem extant complura Iuſtiniani Imp. data reſcripta, homine plane in exemplum poſito rerum mundi huius volubilis ſtatus & eius animi inſanià obdurati, quem nec malleus ferreus tribulationũ valuit vllo pacto conterere, ſecundũ illud ſapientis b: *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas, feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.* Sed hic iam finis anni huius rerum geſtarum eſto.

RVRSVM IOANNES REVOCATVR AD POENAS.

b Prou. 27.

* * *

IESV CHRISTI

Annus 549.

VIGILII PAP. Annus 10. IVSTINIANI IMP. 23. TOTILÆ REG. 8.

ANNVS ſequens poſt Conſulatum Baſilij octauus numeratus, quingenteſimus vndequinquageſimus Domini ponitur, idemque à Procopio bell. Gothici decimusquartus aſſeritur: quod Beliſarius, relicta Italia, Conſtantinopolim remeauit: de eo n. iſta Procopius habet c: *Beliſarius interim nulla referens militiæ decora Byzantium venit, cum per quinquennium ex Italia nuſquam diſceſſiſſet, nec potuiſſet per eam quoquam pacto vagari, ſed tacita fuga quadam deterritus, vt vitabundus id omne tempus de loco in locum nauigando conſumpſit. Quæ ex re factum, vt vrbem Romã iterato in ſeruitutem reciperint Gothi, cumque ea & cætera ſere Italiæ oppida.* ſed id anno ſequenti. Reuerſum autem Conſtantinopolim otioſam degiſſe vitam, idem auctor affirmat: Amantiſſimæ vero coniugis precibus ipſum teſtatur idem Procopius ab Italia reuocatum. I.

c Procop. de bello Goth. lib. 3.

BELISARII REDITVS IN GLORIVS.

II. Sed quo ſtatu res occidentalis Imperii eſſent antequã inde receſſerit Beliſarius, ex eodem auctore accipe, vbi ait d: *Dum hæc agerentur, totius Occidentis barbari Imperio potiuntur. Romani vero cum Gothis, etſi paulo ante (vt diximus) debellatis, bellum dum integrant, pecuniarum hominumque iactura ingenti facta & ſine vllo eorum commodo, Italiam amiſerunt: ſimul Illyricos omnes, Thracesque, cum à barbaris iam finitimis factis ſua omnia agerentur in prædam, & item ipſi ſæde deprædarentur.* hæc Procopius, qui & ſubdit, Romam iterato in ſeruitutem à Gothis redactam fuiſſe. At de his ſuo loco.

d Procop. de bello Goth. lib. 3.

OCCIDENTALE IMPERIVM COLLAPSVM.

III. Quod vero pertinet ad Beliſarium, conſiderare ne prætermittas; quam diſparis exitus à priore poſterior hic fuit ipſius in Italiam aduentus, & reditus Conſtantinopolim. Ex quo enim (quod ſæpius ob oculos repræſentandum eſt) in Romanum Pontificem Siluerium violentas manus iniecit, vis omnis ipſius roburq; Romanæ militiæ concidit, addita vero fuit hoſtibus bellica fortitudo, quam innumeræ victoriæ ſunt ſecutæ: vſque adeo, vt quæ tanto fuerunt parta labore, perdiderint, cum illis potiti ſint Gothi, reliquas vero prouincias, nempe Pannoniam & finitimas regiones, Longobardi à proprijs ſedibus ſuper Iſtrum fluuium poſitis Gipedum regioni finitimis excitati inuaſerunt: graſſanteſque in Dalmatiam & Illyricum, Epidamnum vſque cuncta depopulati ſunt. Hæc omnia plurib. Procopius habet, qui de aucto hoc anno Francorum regno hæc ſubdit e:

CALAMITAS CATVAMALORVM.

Dũ hæc gererentur, totius Occidentis barbari Imperio potiuntur. & paulo poſt: *Galliarum partem ſuæ quondam ditioni eſſectam in huius belli principio Gothi Germanis nempe Francis tradiderant, cum minus ſe poſſe exiſtimarent Romanis ſimul ac Germanis reſiſtere. Id ſane factum non ſolũ Romani nõ prohibere, ſed vt Gallias ſibi Germani haberent, Iuſtinianus vltro permiſit: non enim illi hæc tuto ſe poſſeſſuros rebantur, niſi & Imperator ea ſuæ ditionis futuras perpetuo confirmaſſet. Quo factum, vt ex eo tempore Principes Germanorum Maſſiliam Phocenſium coloniam obtinuerint & cætera circa mare loca tenuerint, totiuſq; eius oræ maritimæ potiti imperio ſint: vnde & Arelate nunc reſident ad certamini equeſtri ſpectaculum.* Quis iſta legens, & in memoriam reuocans vſurpatum à Iuſtiniano indebite titulum Francicum, non admiretur Dei prouidentiam rebus humanis inuigilantem, adhoc in primis, vt mente elatos deprimat, & humiles eleuet? Ecce n. qui inani titulo, præter alia gloriæ nomina è populis debellatis accepta, Francicus à Francis ſuperatis dici voluit, quos nec bello tẽtauerat: modo cogitur cedere Francis, quæ potiora in Galliis Romani eſſent Imperij. Ita plane accidit, vt nihil ſit in cæteris Galliarum prouinciis quod iuſtius Franci poſſederint, quã

e Procop. de bello Goth. lib. 3.

IV. FRANCI AB IMP. IVRA GALLIARVM ACCIPIVNT.

Maſſiliam cum aliis eiuſdem prouinciæ locis, acceptis illis conceſſione Gothorum, & ceſſione facta Imperatoris. Pergens Procopius ad gloriam inſinuandam Francorum hæc adiicit: *Aureum nummum natiuo & Gallicorum metallorum ſed ſolo hi cudit, nō Romani imperatoris (vt cæteri ſolent) imagine ſed ſua impreſſa. Perſarum ſiquidem Imperator cuſi ad arbitrium argenteum numiſma facit: auro tamen non illi fas eſt ſuam vt impenat effigiem, nec barbarorum Princeps alius quiſquam ad ſapere auſit. Sed de his hactenus: Franci interea pleraque ſibi & nulſi iure in Venetos occupant loca, cum nec Romani ea tueri iam poſſint, nec Gothis tantum virium eſſet, vt his vtriſque bellum inferrent:* hæc Procopius de ſtatu Occidentalis Imperij.

V. FRANCI ... CVM ... IMAGINE.

Sed & hoc pariter anno accidiſſe tradit, vt Artabanes, qui Gonthariden tyrannum occidiſſet in Africa, cum Arſace cognato ſuo atque aliis nonnullis proceribus aduerſus ipſum Iuſtinianum Imperatorem conſpirauerit: & niſi moliciones detectæ fuiſſent, plane de ipſius Iuſtiniani vita atque Imperio actum eſſet. Deſcribit hæc pluribus ipſe Procopius, ſed nihil ad inſtitutum.

VI. CONIVRATIO IN IVSTINIANVM.

VII.

Illud vero ſatis admiratione dignum, quod licet tot tantiſque malis, obortis vndique Romanum adeo fluctuaret Imperium, Iuſtinianus tamen totus erat in dogmatib. Eccleſiaſticis perſcrutandis. Nam cum de coniuratione Artabanis in Imperatorem Procopius agit, hæc ab Arſace de eo inter alia dicta refert a: *Ad multam noctem hic ſedet, circumſtantibus ſacerdotibus quibuſdam & effœta ætate viris, Chriſtianorum ſcriptis miro ſtudio reuoluendis intentus.* & poſt multa ſubdidit Procopius: *Vigilius autē vrbis Romanæ Præſul cū Italienſibus aliis & primoribus viris, qui ſecum Byzantij erant, ab Imperatore ſuppliciter & enixius poſtulabant, Italiam omnibus in ſuam vt viribus redigeret poteſtatem: ſed Gothicus præ cæteris maxime vir ſane Patricius ad ipſum in hunc crebro impellere hortarique, vt qui ea de cauſa Byzantium ſe contuliſſet. Imperator vero Italiam ſibi curæ fore reſpondit. Sed circa Chriſtianorum dogmata componenda nimis intentus, eorum altercationes recte diſponere, nitebatur.* hæc Procopius de Imperatoris ſtudiis: quibus dum plus, quam decet Imperatorem, curioſe vacaret, vniuerſum perſumdedit Imperium.

a Procop. de bello Goth. l. 3.

... DOGMATIBVS ... VACABAT.

VIII. CONTRA POLITICOS NOVATORES.

Videant ergo Politici Nouatores, quanta cum iactura, quæ ſunt Pontificum, arrogent ſibi Principes, quamuis ſæculi Iuſtinianus, ex ſacrarum legum præſcripto cuncta ſe facere profiteantur. Regum namque eſt de ſacris dogmatibus ex Eccleſiaſtica diſciplina accipere ab Epiſcopis leges, non quouis colore præſcribere, ſed ſancitas ab ipſis ipſorumque maioribus illibatas ſeruare, & pro illis aduerſus hæreticos decertare. Intelligāt illud inſuper vel ex rerum vſu, quanto cum Imperij detrimento, regnandi iuris inani prætextu peccent Principes in ſacerdotes: Recolant Silueriu̅m Papam abductum ab Vrbe eo colore ne proderet ipſam Gothis: quæ illo pereunte, ab iiſdem Gothis iterum capitur, inſuper & Italia ab eodem Imperatore à Gothis antea fortiter vindicata, rurſus amittitur atque vniuerſi demum barbari, velut impellente numine ad cladem Romani conuocantur Imperij. Tanta ſub Iuſtiniano mala Romano Imperio ſunt allata. Sed & parua hæc quodammodo videri poſſent, niſi ipſe grauia intuliſſet in Catholicā Eccleſiam damna Iuſtinianus, dum laborat leges ſacras præſcribere ſacerdotibus, à quibus accipere potius debuiſſet: edicto enim illo de Tribus capitulis promulgato, materiam præparauit, & ignem, quo vniuerſus Catholicus conciſus ſchiſmate conflagraret, appoſuit. Tot igitur tantaque mala ſæculi prudentia (quæ mors eſt) inuexit in mundum, & vſque hodie in ſui perniciem laborare non ceſſat.

Sed iam reliqua ordine temporis proſequamur.

* * *

IESV CHRISTI

Annus 550.

VIGILII PAP. Annus 11. IVSTINIANI IMP. 24. TOTILÆ REG. 9.

QVingenteſimus & quinquageſimus annus Domini, poſt Conſulatum Baſilij nonus, & belli Gothici decimuſquintus agitur, Imperij vero Iuſtiniani annus vigeſimus quartus notatur à menſis Aprilis exordio. Quo ipſo anno, menſe Martio Vigilius Papa ad Valentinianum Epiſcopum Tomitanum litteras dedit aduerſus ſchiſmaticos, qui vbicunq; ſcriptis litteris illud vulgarant, ipſū Vigilium Papam Tria damnando capitula, impugnare Chalcedonenſe Concilium. Cum n. eius rei cauſa cō plures haud leuiter perculſi animo reſilirent ex ipſius Vigilii Papæ communione: prudentiores qui eſſent, rem accuratius conſiderandam rati, literas miſerunt ad ipsū Vigilium agentem Conſtantinopoli: inter quos fuit Valentinianus Tomitanus in Scythia Epiſcopus Metropolitanus, ad quem Vigilius iſta reſcripſit b: I.

Dilectiſſimo fratri Valentiniano Epiſcopo de Tomis prouinciæ Scythiæ Vigilius.

b Extata; ad Synodum Quint. Act. 7 & tom. (e)piſt. Rom. Pont. epiſt. 6. Vigilii.

Fraternitatis tuæ relegentes ſcripta, Pontificalem in vobis ſollicitudinem ineſſe gratanter accepimus: quia Prophetica ſibi poſſunt verba competenter aptari quib. ait c, Saluato gregem meū. Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini noſtri verba ſectari per quæ dixit d: Speculatorem te poſui domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me, & commonicato eos, quos ſcandalizati diuerſis rumoribus raulis/ſe, inceſſanter hortari, ne per hos forſitan ſeducantur, qui ſub prætextu Catholico, nequiſſimo ſpiritu ſimplicium Chriſtianorum corda fallacia ſuadere permoliuntur & patris ſui diaboli conſuetudinem maligno ſectantes ſpiritu, Eccleſiam ſibi commiſſam diuerſis mendacibus ſcriptis conturbare deſiderant: quibus Apoſtolica lectio congruenter aptatur, dicens e: II. VIGILII EPISTOLA AD VALENTINIANVM.

c Ezech. 34.
d Ezech. 3.

e Rom. 16
III.

Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis. & infra: Et per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra autem obedientia in omni loco diuulgata eſt, quatenus fraternitatis veſtræ adhortatione ſæpe commoniti nulla fideles eorum animos à rectitudine viæ quæ Chriſtus eſt, qui ait f, Ego ſum via veritas, & vita, qualibet maligna annunciatione ſubmoueant, ſed ſi (quod non oportet ab aduerſariis conturbati, aliquid (quod Deus auertat) contra fidem factum ſuſpicantur formidant cum manſuetudine, quæ conuenit Chriſtianis Prophetica verba ſollicite dicentis g: Interroga patrē tuum, & annuntiabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. Et alius Propheta h: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius.

f Ioan. 14.
g Deut. 32.
h Mala. 2.

Et quoniam Beliſarius illuſtris & magnificus vir filius noſter cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Eccleſia in Conſtantinopoli obſeruant, pari ratione dixiſſe noſcuntur, etiam hoc Dei inimicos fuiſſe mentitos, quod perſonæ Epiſcoporum ibæ atque Theodoriti in noſtro (quod abſit) ſuſcipiant iudicio damnatæ: legant ergo, quæ de cauſa, quæ hic mota eſt, ad fratrem noſtrum, Mennam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum ſcribentes, loquimur definiſſe: & tunc cognoſcent nihil à nobis, Deo nos cuſtodiente, commiſſum, vel certe diſpoſitum, quod contra fidem prædicationemque venerādarum quatuor Synodorum, quæ pro vna eademque fide definita ſunt idest, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina prima, & Chalcedonenſis reperiatur aduerſum aut vnum ex his, qui definitioni ſupraſcriptæ Chalcedonenſis fidei ſubſcripſerunt, irrogat iniuriam: vel quod deceſſorum prædeceſſorumq; noſtrorum inueniatur (quod abſit) conſtitutis fore contrarium: ſed in omnibus Apoſtolicæ ſedis Præſulum & beatæ recordationis Leonis Papæ & prædicatarum Synodorum aduerſariis reſtitiſſe. Fraternitatem autem veſtram credimus non latere, inimicos fidei Chriſtianæ hoc ſemper ſæculari & reprobanda voluntas aſſu-* IV.

* prædictarum.